









ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS  
PRORECTOR  
1783. 3 1/2  
IOANN. AVGVST. NOESSELT 7

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
SEMINARIIQVE REGII THEOLOGICI DIRECTOR

CVM

ACADEMIAE DIRECTORE ET SENATV

RELIGIOSAM CELEBRATIONEM MEMORIAE

SPIRITVS S. CVM APOSTOLIS COMMVNICATI

COMMENDAT.

---

PRAEMITTITVR DISPVATIO  
SVPER LOCO PAVLLI ROM. VIII, 26. 27.



---

H A L A E,  
FORMIS IO. CHRIST. HENDELII  
A. C. MDCCCLXXXII.



ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALLEN-  
SIS DIRECTOR  
IOANN. AUGUST. HORNSELIUS

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALLEN-  
SIS SENATUS  
SPIRITUS & LIT. ASSOCIATIONIS  
COMMISSARIUS

FRAGMENTA PRAESENTIA  
SUII LOCO TAVLA

FRAGMENTA PRAESENTIA  
SUII LOCO TAVLA







**P**raeclarus est & verae consolationis in rebus aduersis plenissimus locus Pauli ad Rom. VIII, 26. 27: *Succurrit Spiritus in firmitatibus nostris. Neque enim scimus, quid, sicuti deceat, rogare debeamus, sed ipse Spiritus deprecatur pro nobis, suspiriis quamquam non expressis. Qui autem introspicit animos, intelligit desiderium Spiritus, qui quidem apud Deum deprecatur pro Sanctis.* At diu multumque cogitantibus nobis de vero horum verborum sensu saepe venit in mentem dubitare, an, qui hunc locum sui aut aliorum confirmandorum causa frequentent, diuinam quoque sententiam assequantur? Neque enim satis est vel ad animi constantiam vel ad rectum promissorum diuinorum usum, acquiescere in primo, qui legenti oblati fuerit, sensu, eumque ad animi motus quomodocumque sedandos adhibere, qua in re temeritas potius animi quam vera pietas cernitur. Nullum quidem in locum sacrarum literarum incideris, e quo non possit utique elici sententia tolerabilis & vero etiam ad animum regendum aut recreandum fructuosa. Sed iis, qui oraculorum diuinorum sensum, ad quem siue fortuna aliqua, siue consuetudinis temeritate delati fuerint, confestim tamquam certum arripiunt, multa pereunt diuinitus dicta, plurimi etiam sapientiae fontes obstruuntur, quos curiosa inuestigatio repererit; nec consentaneum est pietati in eloquia Dei, haerere in obuiis, cetera, quae abdita iacent, vel negligere vel, ab aliis monstrata etiam, propter in-



lentiam contemnere. In quibus obuiis etiam hoc usu venire solet, ut, vnice intenti in id, quod animum oblectet nostrum, aut opinionibus nostris quam maxime aptum sit, neque videamus neque curemus, quod idem illud nos impellat in difficultates maximas, aliaque parte veritati tenebras offundat. Quod si quis tamen ea, quae reperisse in Scripturae quodam loco gaudet, posthaec contulerit cum ceteris Theologiae suae partibus atque vniuerso huius disciplinae orbi quoquo modo aptauerit, non modo error confirmatur ipsa hac probabili coniunctione, sed res etiam commenticia ab auctoritate diuina profecta putatur. Ita fit saepenumero, ut, si qua res, e verbis male intellectis hausta, ad animi tranquillitatem facere videatur, vel falsa spe detineamur, vel, ubi fefellerit spes ista, nos ab ipso Deo delusos, aut certe desertos conqueramur.

Haec quidem aliena videri possent ab hoc loco consilioque nostro, nisi verendum esset, ne, cum audeamus diuersum ab aliorum interpretationibus sensum loco Paullino tribuere, vel haec ipsa diuersitas aequum & accuratum iudicium huius sententiae nostrae impediret, aut intemperantia eorum, qui ferre nihil possunt quod sibi nouum atque insolens videatur, etiam diuina in discrimen adducta suspicaretur. Quae enim sint & quam diuersae sententiae de re in isto loco tradita, satis constat, nec nobis necesse videtur repetere ea, quae ante triginta & quod excurrit annos super deprecatione Spiritus S. inter nostros disputata fuere, aut, cur nobis non probata fuerint, exponere. De qua controuersia legat, qui velit, quae congesta sunt & per compendium narrata in *der unpartbeyischen Kirchenhistorie* Tom. III. p. 1432 seq. & Tom. III. p. 239 seq. Nobis quidem satis fuerit, quid nobis de isto loco, & cur ita videatur, dixisse.



Pendet autem primum recta loci intelligentia a constitutione eius quod Paullus vocabulo *Spiritus* significauerit, qui quis sit, vniuersum orationis Paullinae contextum accurate cogitanti non potest esse obscurum. Quamquam nec in illo interpretandò consentiunt, quam ob rem necesse videtur illa quoque superiora illustrare quae & quatenus lumen huic disputationi afferre possunt.

Atque hic vtile est ad obseruandum, capitis VII. versu 5 & 6 (nolumus enim nunc altius assurgere, quamquam vniuersa disputatio Paulli vel ad cap. V & VI. referri atque cum istis coniuncta dici potest) illa igitur in parte capitis VII. Apostolum inter se contulisse *legem*, quam Iudaei a Deo per Mosen acceptam iactabant, & *Christi doctrinam*, longe quidem diuersas effectiōibus suis. *Cum enim*, inquit, *essemus sub lege* (ἐν τῇ σαρκί), quae est lex, vt cap. III, 1. pro qua c. VI, 14 substituuntur *viciō*, *cupiditates vitiōsae*, (quasi) *per legem commotae*, vim suam exserabant in natura nostra (ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, neque enim de corporis partibus haec dici, vel doceat c. VI, 13. Col. III, 5 &c.), ita vt fructuosi quidem *essemus*, sed exitio nostro. Nunc autem liberati sumus a lege (&c) *mortui* (quasi) *ei cui fueramus subiecti*, ita vt (Deum) possimus colere accommodate ad nouam eamque perfectam doctrinam (ἐν καὶνότητι Πνεύματος), non ad veterem illam eamque scripturam legem (ἡ παλαιότητι Γράμματος). Hic nullo modo dubitari potest, vt Γράμμα dictum est de LEGE SCRIPTA, erat enim ante appellata ὁ νόμος, sic Πνεῦμα DOCTRINAM IESV CHRISTI esse, plane vt v. 4. dixerat Paullus: *mortui estis legi*, interuentu corporis Christi, sic vt alius (cultores) facti sitis eiusque e mortuis reuocati, vt fructuosi possitis esse Deo. Eandemque sententiam Paullus expresserat c. VI, 14: *Non estis sub lege sed sub gratia* s. beneficio h. e. doctrinae Christi addicti, quae & ipsa saepe dicitur χάρις, quem ad modum quod Act. XIII, 43 est ἐπιμένειν τῇ χάριτι τῆ Θεῶ, cap. XIII, 22 exprimitur per ἐπιμένειν τῇ πίστι. Nec secus est 2 Cor. III, 6, vbi γράμμα dicitur mortem afferre i. e. exitium, sed Πνεῦμα s. Euangelium, vitam h. e. salutem.



Enimvero Paullus hanc legis & doctrinae Christianae comparisonem persequitur subiecta disputatione sic, vt miserimum statum eorum, qui sine hac, soli legi addicti viuunt, cap. VII, 7 seqq. sed laetiozem eorum, qui Euangelio fruuntur, hoc ipso cap. VIII, describat. In quo, quid magis est consentaneum, quam Πνεῦμα accipere sensu eodem, qui esset in loco cap. VII, 6, quem sibi hac parte disputationis illustrandum sumserat? Videtis enim hic cap. VIII, 2. nisi eadem fere verba, certe eandem esse sententiam. Νόμος igitur τῆ Πνεύματος doctrina est Christiana, quae & ipsa alias Gal II, 19. νόμος dicitur, & addita interpretatione Rom. III, 27 νόμος πίστεως atque Iac. I, 25 νόμος τῆς ἐλευθερίας. Namque in loco quem tractamus, ei tribuitur vis ad afferendam salutem (quae dicitur νόμος τῆς ζωῆς), quam Paullus planissime c. I, 16 asserit Euangelio; tribuitur etiam hoc, quod nos liberauerit a lege peccati & mortis, quae cur ita appelletur, memineritis e loco c. VII, 5 qui est basis vniuersae disputationis. Quae cum ita sint, περιπατεῖν κατὰ Πνεῦμα v. 4 quid est aliud quam sequi doctrinam Christi esse; & τὰ τῆ Πν. Φρονεῖν, probare istam doctrinam, quod verbum eodem sensu est cap. XIII, 6. E quibus, quid sit περιπατεῖν κατὰ σάρκα, κατὰ σ. εἶναι, τὰ τ. σαρκος Φρονεῖν per disiunctionis legem facile intelligitur; si quidem hoc vnum teneatur, τὴν σάρκα h. l. non esse sensu eodem quo erat c. VII 5. Nam in ampliori istius loci explicatione cap. VII, 7 seqq. vsurpauerat Paullus τὴν σάρκα de vitiosa natura nostra, quae sit infecta peccato, & sicuti dixerat v. 18: Noui, quod in me, hoc est in vitiosa natura mea (ἐν τῇ σαρκὶ μου) non habitet bonum, eandem sententiam sic effert v. 23: video etiam legem in natura mea (ἐν τοῖς μέλεσσι μου) repugnantem legi mentis meae s. legi Dei v. 22 & 25; quare hic cap. VIII, 8: qui sunt inquit, peruersae naturae addicti (ἐν σαρκὶ ὄντες) Deo placere non possunt.



Sic igitur hoc constitutum: το Πνεῦμα, in principio quidem capitis VIII, de doctrina Christi usurpatum esse. Quodsi in principio, quidni & in iis quae sequuntur? Quid enim causae est, cur, cum per ea quae diximus, negari nullo modo possit, hanc esse vim vocabuli Πνεῦματος, ea tamen posthaec deseratur & vel ad Spiritum Sanctum referatur vel ad sanctitatem sanctosque motus quae a Spiritu S. proficiantur? Quae instantia quis dubiter in maximis vitis vel Scriptoris vel interpretis esse, nisi perspicue doceatur, illum progressus ab vna vi vocabuli ad alteram, certam significationem dedisse? Sed hoc quis docuit in loco nostro aut quis docere possit? Nihil profecto impedit quo minus eandem per totum caput vim vocabuli teneamus, & vero etiam satis clara sunt vestigia, quibus reperiatur, Paullum eandem, quam in superioribus, vim vocabulo Πνεῦματος etiam in ceteris huius sectionis partibus subiecisse.

Quod quidem vers. 9. in promptu est videre propter ea quod Πνεῦμα iterum cum σαρκὶ componatur: Vos autem non ad dicti estis hbidini (τῇ σαρκί), sed πνεύματι h. e. doctrinae Christianae. At istud Πνεῦμα habitare dicitur in Christianis, est igitur per vim attributi intelligendus Spiritus S. Sed vicissim v. 10. Christus substituitur pro Πνεύματι, & planissimum est, quod eodem sint sensu haec: ἔχειν τὸ Πνεῦμα Χριστοῦ v. 9. ac: Χριστὸν εἶναι ἐν τῷ. Nec tamen Paulus dicit doctrinam Christi? quem ad modum & 2 Cor. III, 17 formula: ὁ Κύριος τὸ Πνεῦμα ἐστὶν hunc habet sensum: Christus est istud Πνεῦμα, quod v. 6. dixeram, ita autem dixerat ibi doctrinam Christianam. Quodsi quis instet & urgeat: tamen habitandi vocabulum (το εἶναι) Personae significationem continere; valde oportet, eum rudem aut immemorem esse dictionis Paullinae, qui ignoret, vel de peccato dici cap. VII, 17 illud habitare in nobis; multo magis etiam Col. III, 16. λόγον τῆς Χριστοῦ, Christi doctrinam, habitare in nobis i. e. nos assiduam



duam ei operam dare debere; ac fidem *habuisse* in aua & matre Timothei 2 Tim. I, 5; vt praetermittamus, quod est a u. bis alias probatum satis, in Ioannis Euangelio c. XIII, 23 το μόνον παρὰ τῆς ποίεω & similia haud dubie vim habere institutionis & doctrinae qua mastrandi essent Christiani. Nec iste sensus alienus est a verbis iis quae in loco nostro sequuntur v. 10 & 11. *Quodsi Christus in vobis est* s. Christi vos doctrinam regit, *natura quidem vestra vos morti addicit propter peccatum* (τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίας), *sed Spiritus h. e. doctrina Christiana, vitam reddit propter iustitiam.* Nempe si Spiritus h. e. doctrina eius qui Iesum excitauit e mortuis, *habitat in vobis* s. vos regit, *is qui Christum reduxit e mortuis, vitam dabit quoque vobis morti obnoxiiis* (τὸ θνατὸν σώματα ὑμῶν) *propter habitantem in vobis Spiritum.* Sed videmus haec sine confirmatione dimitti non posse.

Primum igitur haec neque de corpore intelligi possunt neque de eius futura restitutione in integrum. Nam, quem ad modum hic το σῶμα disiungitur a πνεύματι, sic erant πνεῦμα & σαῶξ disiuuncta in superioribus huius capituli locis. Neque tamen ibi σαῶξ erat de corpore, sed de libidine, aut vitata per peccatum natura nostra, coll. c. VII, 18. Atque eodem sensu c. VI, 6 το ΣΩΜΑ τῆς ἁμαρτίας non corpus est, sed eadem ipsa σαῶξ s. vitium animi a peccato profectum, & sicuti cap. VIII, 3 Deus dicitur κατακτείνω (vim frangere) τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαῶξ, sic cap. VI, 6, καταργηθῆναι dicitur τὸ σῶμα τῆς ἀμ. non de corpore destructo sed de vi libidinibus illata s. inferenda. Ac profecto c. VIII, 13 θανατὸν τὸς πρῶξεις τ. σώματος, non est: vim corpori inferre, sed libidini suae aut peccati vim frangere. Quodsi cui durum videatur, quo modo non darum aut alienum a dictione sacrorum scriptorum putatur, quod Christus Matth. V, 29 seq. *oculum* & *manum* euelli velit & amputari non sensu proprio, vt de corpore accipiatur, sed vt repugnetur libidinibus; aut quod Paulus Col. III, 5 τὰ μέλη ὑμῶν dicat πορνεύω, ἀνάστασιν & quae sint



sint generis eiusdem? quae & ipsa iubet *νεκρώσειθαι* h. e. vim  
 iis inferri. Ac si *τα μέλη* Rom. VI, 13 vetat adhiberi tamquam  
 instrumenta peruerfitatis, qua re seruiamus peccato, non corpo-  
 ris membra intelligenda sunt, sed plane eadem quae Col. III, 5  
 improprie de libidinibus nostris dicebantur, vt cap. VII, 23  
*ἀμαρτία* esse dicitur *ἐν τοῖς μέλεσι*, i. e. *ἐν τῇ σαρκί* v. 18. Quae  
 si verissima sunt, quis dubitet c. VI, 12 *το ὄΝΗΤΟΝ ΣΩΜΑ*  
*ὑμῶν* & cap. VII, 24 *το ΣΩΜΑ ΤΟΥ ΘΑΝΑΤΟΥ* non cor-  
 pus esse mortale, sed ipsam naturam vitiosam, quae nobis mor-  
 tem h. e. exitium afferat? Nam sicuti *θάνατος* de exitio dicitur,  
 propter ea quod c. VI, 21. 22. disiungitur a *ῥα* h. e. salute  
*sempiterna*, eodemque sensu saepius est cap. VII, 5. 10. 11. 13 cet.;  
 itemque vt *θάνατος* saepius est pro *caussa* mortis s. exitii, veluti  
 c. VII, 13 & alibi: sic *θνήσκον* aut *νεκρὸν* in hoc, de quo quaerimus,  
 loco & improprie de *exitio* & de exitii *caussa* potest esse; quo  
 fit, vt *τα ὄΝΗΤΑ ΣΩΜ.* s. *ΣΩΜΑ ΝΕΚΡΟΝ*, sint: natura  
 s. libidines nostrae, quae nobis interitum s. miseriam consciscant. —  
 Atque per haec ipsa & per disiunctionis vim cogitur, *ζωὴν*  
 v. 10 capitis nostri esse *causam* & *ζωοποίησιν* collationem istius  
*salutis*. Nec obstat id quod reuocatio Christi & mortuus v. 11  
 proprio fit accipienda sensu; nam paene putidum est docere, quod  
 ignorare nemo potest, saepissime a re quae proprie, ad eam rem  
 quae translate dicta sit, orationem conuerti, quod in hoc ipso ver-  
 bo & *caussa* constat Paullum ad Rom. c. VI, fecisse. — Denique  
 sumimus in interpretatione, praefendam esse v. 11 lectionem:  
*ΔΙΑ ΤΟ ΕΝΟΙΚΟΥΝ αὐτῷ ΠΙΝΕΤΜΑ*, in accusatiuo, alteri:  
*διὰ τῆ ἐνοικησῆτος αὐτῷ πνεύματος*, in genitiuo, quamquam & ipsi  
 satis antiquae, quam, constat e dialogo MAXIMI aut, si mauultis,  
 ATHANASII vel THEODORETI III. (Opp. Tom. V. p. 1018. 1019 &  
 1027 Edit. Halens.), inde a controuersia cum Macedonianis demum  
 regnare in libris & illius alterius auctoritatem minuere coepisse. Lon-  
 gum est omnia proferre, quae dici pro illa altera lectione possent; hoc



quidem certum est, codicum vetustissimorum & versionum suffragiis, potiore eam esse hac quae nunc obtinet in libris nostris. Et habet ista lectio: *δια το - Πνευμα* non contemnendam commendationem a consensu cum versu 10. Ibi enim *πνευμα* dicitur *ζωη δια δικαιοσυνην* h. e. doctrina Christiana nobis salutem promittit, si quidem recte agamus, vel, vt Paullus supra loquebatur, si *regimur κατὰ πνευμα*, si accommodate agimus ad Christi doctrinam; id quod hoc versu it videtur postulare: *δια το ενωκεν πνευμα εν υμιν*, propter ea quod regimur hac doctrina. Esse autem *regendi* notionem in illis: *πνευμα οικει εν υμιν & πνευμα Χριστου εχομεν*, vel versus 14 doceat, vbi pro his substituitur: *πνευματι Θεου αγεδω*, quod si factum fuerit, *sumus filii Dei*, vt v. 9 erat: *sumus Christi discipuli*. Videtis omnia bene explicari posse, si statuatur, *Πνευμα*, vt in vniuerso contextu, esse de Christi doctrina.

Sed nec praetermittenda videntur ea quae sequuntur versu 15 & 16; sunt enim in primis similia loci eius, cuius causa erat haec disputatio instituta. *Neque enim*, inquit Apostolus, *accepistis Spiritum seruitutis, vt iterum*, sicubi tum, cum essetis sub lege, *timere debeatis, sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem exclamamus: Abba, Pater!* Quae, quid causae sit, cur dubitemus de *Euangelio* interpretari? Sumus enim, vt Paullus aiebat v. 2 & Gal. II, 19 per *Euangelium* (hoc ibi erat *Πνευμα*) *liberati* a lege, itaque nihil est quod metuamus, vt antea; non tamquam seruis minatur, sed nos tamquam Dei filios de paterno Dei amore reddit certiores; possumus igitur Deum tamquam *Patrem* inuocare. Atque sic v. 16 *ipse hic Spiritus*, ipsa haec doctrina, *confirmat Spiritum* h. e. animum nostrum, *quod sumus filii Dei*; tales enim erant, secundum v. 14, omnes, qui hac doctrina regebantur.

Satis



Satis dictum videtur de vocabulo Πνεύματος, quod hic quoque v. 26 vim habere significandi Euangelii, non modo contextus vniuersae disputationis Paullinae suadet, in quo nulla necessitas est secus ac antea interpretandi aut Paullum inconstantiae in loquendo accusandi, sed etiam ipsa verborum consecutio docet. Namque illa: *ὁσαύτως δὲ καὶ τὸ Πνεῦμα*, & quae sequuntur, perspicue referuntur ad v. 16. Etenim v. 17 coeperat Apostolus loqui de rebus aduersis, atque iis praecipue quae continebantur sensu infirmitatis in obseruanda lege diuina & peccati etiam inuitos trahentis in suas partes. Vid. v. 20 & 21 coll. cum cap. VII, 14 seqq. Quare, quem ad modum v. 16. tribuerat Euangelio vim nobis confirmandi nomen & iura filiorum Dei, sic nostro quidem in loco *ὁσαύτως, similiter*, dicit Euangelium (*τὸ Πνεῦμα*) succurrere infirmitatibus nostris, ita vt nobis afferat consolationem in sensu miseriae, quae nobis fraudi aut detrimento non debeat esse; quam rem persequitur per ceteras huius sectionis partes v. 28-39. Sed veniamus ad hanc vim, quam Paullus laudat in Euangelio, & videamus, an verba bene intelligi de Euangelio possint, aut ipsa doceant quoque, quod debeant ad Euangelium referri.

Succurrit igitur (*συναντιλαμβάνεται*) Euangelium infirmitatibus nostris. Quo modo? *Τὸ γὰρ τί προσευξώμεθα καθὸ θεῶ, ἐκ οἴδαμεν, ἀλλ' αὐτὸ τὸ Πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν σεναγμοῖς ἀλαλήτοις.* Neque enim scimus, inquit, quid debeamus rogare modo eo quo oporteat. Ad quae illustranda peropportune occurrit locus similis Paulli 2 Cor. XII, 8 seq. vbi Paullus etiam in acerrimo rerum aduersarum sensu profitetur se rogasse Deum, vt malo liberaretur, illumque respondisse: *Sustinet te beniuolentia mea, vis enim mea maxime agnoscitur in aduersis.* Quare acquieuit Paullus seque iactauit etiam in aduersis, nam *cum infirmum me*, inquit, *sentio, tum roboratum me video.* Hoc loco ducti existimamus, Paulli mentem in loco nostro esse, quod rebus pressis aduersis nesciamus



quo modo voluntati Dei conformemus preces nostras, esse enim quod suadeat grauitatem miseriarum deprecari, praesertim cum sint e genere earum quae peccandi necessitatem inducant; contra, cum Deus tamen, vt est v. 20, obnoxios fecerit homines *παραιότητι* sub spe futurae liberationis, fatius videri patienter ferre quae nobis non sine eius nutu ac voluntate contingant & deprimant ad tempus. Itaque cum vix audemus ingemiscendo liberationem quaerere propter ea quod tempore demum suo parata est plenissima filiorum Dei libertas. (Vide v. 21 seq.), *ipsi Spiritus pro nobis veluti suspiriis deprecatur.* At *Spiritum* intelligebamus *Euangelium!* cui quo modo talis *deprecatio* tribuatur, aut quo modo *suspiria*? Non magis profecto inepte nec durius quam Spiritui S. aut Deo ipsi. Atqui nec proprie ea cadunt in Spiritum S. sed sunt translate, sunt pro modo subiecti interpretanda! Sunt ista sane; sed da nobis quaeso, possentne eodem iure translate ad Christi doctrinam referri, atque ad eius naturam accommodate explicari? Quid? Nonne *peccata* dicuntur in Scripturis *clamare* ad Deum? aut *merces*, qua sint messorum fraudati lac. V, 4? Quid hoc est aliud nisi tantam esse violentiae atrocitatem vt Deum prouocet ad vlciscendum. Aut si desideras clamorem in bonam partem ac veluti deprecationem, an Paullus ipse dubitauit dicere Ebr. XII, 24: *sanguinem Christi expiantem meliora loqui* s. postulare *quam profusus Abelis sanguis?* h. e. Deum, vt olim Abelis caede prouocaretur ad vlciscendum, sic Christi morte moueri vt nobis condonet peccata. Age igitur, transferamus haec ad similem loquendi modum in loco nostro, & agnoscamus, *Euangelium* haecenus *pro nobis deprecari*, quatenus mouetur Deus promissis in Euangelio datis & fide sua, vt, quamquam, sed inuiti tamen, peccent Christiani, necessitateque peccandi & malignitate quadam naturae auferantur, tamen non vlciscatur ista peccata, sed ea condonet potius; quod beneficium memineritis Paullum tractasse in vniuersa superiori disputatione. Quod si  
 cup



quem offenderit vocabulum *Suspiriorum*, quo modo id insolens videatur in tali orationis contextu, vbi de nobis in illo miseriae & imbecillitatis sensu *ingemiscuntibus* v. 22 & 23 dixisset Apostolus. Sed cur *ἀλάλητοι* dicuntur *σεναγμαί*? Vt improprie, sic quidem suspicamur, hoc dictum agnoscat, cum antea de nobis proprie dictum fuisset. Nam quem ad modum 1 Petr. II, 4 & 5 Christus & Christiani lapides *viui* appellantur, e quibus exstructa societas Christiana *οἶκος πνευματικός* h. e. domus *improprie* dicta est, & *γάλα* v. 2 *λογικόν* h. e. doctrina, quae lactis *instar* esset: quidni & *σεναγμαί ἀλάλητοι*, propter ea quod non verbis aut sonis continentur sed sint improprie intelligendi?

Ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας, addit Paullus, *εἶδε τί τὸ φρόνημα τῷ Πνεύματος*, ὃ, *τι κατὰ Θεὸν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν*. Eum, qui *penitus cognoscit animos nostros*, perspicuum est, Deum esse, qui *intelligat quid postulet Spiritus* s. Euangelium; h. e. quamquam nos ipsi dubitemus ea mala deprecari & praesentem postulare liberationem, Deus tamen bene nouit, quid postulet aut anquirat Euangelium s. data ibi fides sua, nempe misericordiam, gratuitam condonationem peccatorum propter Iesum Christum. Ὅτι autem, quamquam posset esse *quia, namque*, suaderemus tamen vt diuideretur potius ὃ, *τι*, id quod, quod quidem, vt referatur ad Πνεῦμα, q. d. *quod quidem* Euangelium, sensu eo quo supra explicauimus, *deprecatur pro Christianis*. De formula denique *κατὰ Θεὸν* nihil audemus definire. Nam, siue *apud Deum* interpretaris; siue *ad Dei voluntatem*, vt 2 Cor. XI, 17 *κατὰ Κύριον*, *ad mentem Domini*, vtrinque bonum habet sensum; quamquam mallems hoc, quod ita & illi *καθ' ὃ θεῖ* v. 26 & loco simili Ebr. XII, 24 (*κρεῖττονα λαλεῖ*) melius respondeat.

Quantum autem hoc est, quod, etiamsi nos ipsi saepe in eorum discrimine versetur, vt, quid agendum sit, nesciamus, DEVS tamen, tamquam verus Pater, prospiciat rebus nostris, atque vel sic con-



firmet istud, DEO cariorem esse hominem quam sibi. Quod si variis iactamur curis, ut animus siue vrgeatur praesente necessitate quae spatium deliberandi non concedat, siue deliberando distrahatur, nec videat quid expetendum fugiendumque, agendum aut intermittendum sit, proptereaue vereatur, ne vel inuitus incidat in quandam peccandi necessitatem: aequissimus est atque indulgentissimus Deus, qui misereatur infirmitatis nostrae, qui vel errantes amore complectatur suo, qui, quasi re optime a nobis gesta, non viciscatur delicta, sed ea quoque sapientissime in verae beatitudinis fontes conuertat. In summa sollicitudine, cum dubitat animus an-simus gratiosi Deo, cum incertus est & tenebris obuolutus rerum nostrarum exitus, quid suauius illa consolatione, Deum tamen haec quam certissime tenere, nihil esse quod nobis amorem Dei auferre possit, Eum exoptatissimum vel turbulentissimorum temporum exitum esse daturum? Etiam si vel extremum periculum in omnibus aduersis ereptum nobis videatur, quod est in precibus & inuocatione Dei, habemus tamen Iesum Christum, Seruatorem nostrum, habemus eius Euangelium, quod pro nobis deprecetur, quod causam nostram semper commendet Deo, ut, quem ad modum fallere non potest Deus, certissimi possimus esse Eum sponte ac longe supra quam rogare aut intelligere possumus, effecturum esse ea quae vires votaue nostra excedant. Nihil est enim quod non sit daturus nobis, qui vel Filium suum nobis dederit? Hanc magnitudinem beneficiorum, quorum memoriam reperimus hoc ipso tempore, quo, quid nobis contigerit per Spiritum sanctum, pietas Christianorum celebrat, diligenter atque gratias agentes cogitemus per hos festos dies, ut, quae nobis olim parata sint in coelis, iis, veluti praegustu aliquo suauitatis diuinae, animos nostros recreemus. P. P. in academia Fridericiana d. XVIII. Maii A. C. MDCCLXXXII.



Halle, Diss.) 1782/85

ULB Halle

3

002 169 606




56











B.I.G.

Farbkarte #13

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS  
 PRORECTOR  
 IOANN. AVGVST. NOESSELT  
 SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
 SEMINARIIVQVE REGII THEOLOGICI DIRECTOR  
 CVM  
 ACADEMIAE DIRECTORE ET SENATV  
 RELIGIOSAM CELEBRATIONEM MEMORIAE  
 SPIRITVS S. CVM APOSTOLIS COMMVNICATI  
 COMMENDAT.

1782 3 7

---

PRAEMITTITVR DISPVATIO  
 SVPER LOCO PAVLLI ROM. VIII, 26. 27.




---

H A L A E,  
 FORMIS IO. CHRIST. HENDELII  
 A. C. MDCCLXXXII.

